



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXXIV. De Satisfactione Sacramentali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

part. 5. tract. 13. resol. 34. Coton ubi ante num. 19. & 20.

10. *Quer.* An sit valida Absolutio, si detur à Confessario sub conditione? *Resp.* Si detur sub conditione de præterito, vel de præsentis, erit valida, quatenus conditio, quæ supponitur, vera sit; si autem daretur sub conditione de futuro, absolutio valida non foret, quia effectus Sacramenti non potest stare in suspensio, & pendere ab incerto. *Dian. part. 11. tract. 4. resol. 18. & Coton. num. 21. & 22. ubi supra.*

11. *Quer.* An, quando Absolutio datur sub conditione, necesse sit eam verbis exprimere, vel sufficiat, eam in mente retinere? *Resp.* Sufficere eam retinere in mente, quia Deus intuetur cor, & coram Deo est manifesta mens Confessarii. *Dian. part. 10. tract. 11. resol. 55. & Coton. ubi ante num. 26.*

12. *Quer.* An mutatio formæ consuetæ, & à Rituali Romano præscriptæ in absolutione sit mortale, quamvis alia verba sufficientia adhibeantur? *Resp.* Magis communis opinio est, ut mortalis culpa reputetur dicta mutatio, si absque causa urgente fiat. Relinquere autem illas preces *Miserere tui, &c. & Passio Domini Nostri, &c.* non est mortale, neque veniale, si causa honesta sublit, ob quam tantum illa Verba adhibeantur: *Ego absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Quod in praxi servatur à doctis, piisque Confessariis, præcipue in reconciliationibus brevibus, & ubi magnus est numerus Pœnitentium, ut docet Coton, *ibid. num. 23. 24. 25.*

13. *Quer.* An Absolutio sit danda in præsentia pœnitentis, vel etiam absenti? *Resp.* Nonnullos DD. existimasse, Decretum Clementis Octavi prohibentis confessionem fieri per litteras, vel in absentia, non prohibere absolutionem in absentia, quando prius pœnitens in præsentia confessus fuisset. Porro communis opinio est, absolutionem neque in hoc casu posse dari absenti; & idèd præsentem pœnitentem est promulganda. Verum tamen est, quod hæc præsentia pœnitentis non debet esse omnino physica, id est, ut realiter sit prostratus ad pedes Confessarii, sed sufficit moralis, ut si sit in eodem templo, aut cubiculo, aut parumper discesserit à Confessario; qui si nondum absolvit, potest absolutionem proferre; & hoc sæpè accidit, dum rustici tempore festivitatum turmatim accedunt ad confessionem, nam eorum plurimi, cum expleverint accusationem suam, quando Sacerdos incipit: *Miserere tui, &c.* ipsi surgunt, & abeunt, quod mihi non semel occurrit; & aliquando eos revocavi ad confessionale; reprehendendo illos de discessu intempestivo; aliquando verò satius duxi; illos absolvere sic discedentes, ne admirationem adstantibus gignerem, vel scandalum darem. Præmissa docet Coton. *ubi supra num. 27.* Et ego scripsi de Pœnitentia, *Decis. 35. num. 18.*

14. *Quer.* An Absolutio à censuris possit dari in absentia? *Resp.* Affirmative, quia hæc extra Sacramentum potest semper conferri, præterquam si Superior committat alicui fa-

cultatem absolvendi cum clausula: *In Confessione Sacramentali.* *Diana part. 9. tract. 7. resol. 9. Coton. ubi ante num. 28. 29.* qui notat, posse dari etiam sub conditione de futuro, & sic quoad reincidentiam, & tam verbis, quam scriptis; ac demum etiam invitis, dummodo absolvens id faciat auctoritate sua ordinaria; secus si virtute Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ. *Diana part. 5. tract. 9. resol. 10.* tunc enim non datur nisi petentibus, & pœnitentibus in præsentia.

15. *Quer.* Quæ sint servanda in absolutione à censuris in foro exteriori? *Resp.* Quod absolvendus juret de parendo mandatis Ecclesiæ, vel de exequenda pœnitentia sibi iuncta; quod dicantur preces à Rituali Romano præscriptæ cum levi flagellatione humeri nudati ipsius pœnitentis; quamvis aliquando hæc ceremoniæ possint omitti; & sufficiat dicere: *Ego absolvo te à vinculo Excommunicationis, quam ob talem causam incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & Communioni fidelium. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Coton. *ubi supra num. 38.*

16. *Quer.* Ad quid valeant illa verba, quæ ante absolutionem à peccatis dicunt Confessarii: *Absolvo te à vinculo Excommunicationis, suspensionis (si pœnitens est Clericus) & interdicti, in quantum possum, & tu indiges?* *Resp.* Valent ad auferendas censuras, si quibus pœnitens innodatus foret, adhuc ut valida sit absolutio à peccatis. Coton. *ubi supra num. 39.*

17. *Quer.* An per dicta verba auferantur censuræ, de quibus pœnitens non habet notitiam, etiam si illæ essent de reservatis? *Resp.* Affirmative, dummodo tamen eam intentionem habeat, se præsentandi Superiori, & satisfaciendi, si aliquando certus evaderet de censura. *Diana part. 10. tract. 13. resol. 56. & Coton. d. lib. 2. Controv. 8. num. 40.*

18. *Quer.* An sint dicenda illa Verba *Passio D. N. J. C. &c.* & ad quid valeant? *Resp.* Esse dicenda, nisi magnus sit numerus pœnitentium expectantium; & valere, ad elevanda bona opera pœnitentis absoluti, ut ex opere operato ei profint ad meritum, & ad satisfactionem pœnarum, ut ex modernis DD. dixi de Pœnitentia *Decis. 34. num. 18. & Decis. 35. num. 3.*

CAPUT CXXIV.

De Satisfactione.

1. *Quer.* Quanam sit tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Est Satisfactio, non est tamen pars essentialis, tum quia ante adimplementum satisfactionis habetur effectus Sacramenti, tum etiam quia aliquando satisfactio injungi non potest, cum scilicet absolvitur quis in articulo mortis, postquam sensus amisit; & idèd vocatur Pars Sacramenti, sed pars integralis. Coton. de Sacram. lib. 2. Controv. 10. num. 1.

2. *Quer.* An Satisfactio sit injungenda ante absolutionem, vel post absolutionem? *Resp.* Nil referre, an detur ante, vel post; licet usus obtineat, ut injungatur ante. *cap. fin. de Censur. in 6. Dian. part. 3. tr. 4. res. 136. & part. 5. tract. 13. resol. 36.*

3. *Quer.*

3. *Quer.* An semper sit injungenda Satisfactio pœnitenti? *Resp.* Negative, quia si pœnitens sit morti proximus, si aliâ satisfactoria opera fecisset pro peccatis, vel tempore Jubilæi sit facturus opera in illo præcepta, potest confessorius absolvere absque alterius satisfactionis injungitione. *Gloss. in Extrav. Antiquorum. De Pœnit. & remiss. Coton. ubi supra num. 3.*

4. *Quer.* An Pœnitentia sit imponenda, ubi quis constituitur mortalia, vel venialia jam pluries in aliis confessionibus absoluta? *Resp.* Remanere in arbitrio confessorii, qui propterea absque ullo scrupulo potest abstinere à novâ pœnitentiæ impositione; secluso tamen contemptu. *Card. de Lugo de Pœnit. disp. 25. num. 50. Coton. ibid. num. 4.*

5. *Quer.* An Confessorius possit imponere pœnitentiam consulendo, vel debeat eam injungere præcipiendo? *Resp.* Vel agimus de pœnitentia vindicativa pro satisfactione culpæ, & hanc præcipiendo debet Confessorius injungere, quia agit, ut Judex. Vel intelligimus de pœnitentia præservativa, & hæc potest imponi consulendo, quia Confessorius in ea se gerit tanquam purus Medicus. *Coton. ubi supra, ubi DD. allegat à num. 5. usque ad num. 8.*

6. *Quer.* Quale opus sit pro pœnitentia injungendum? *Resp.* Omne opus bonum, quod vocari possit pœnale; & pendet à tribus generibus, ab oratione, jejunio, ab elemosyna. *S. Thom. in Supplem. 3. p. 4. q. 15. art. 3. & Scotus in 4. dist. 15. q. 2. lit. F. & in electione pœnitentiæ imponendæ debet attendere Confessorius, ut illa non solum sit vindicativa, sed etiam magis præservativa. Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. Coton. ubi supra num. 9. & 10.*

7. *Quer.* An Confessorius possit injungere Pœnitenti consuetudinario, ut quoties reincidat in peccata, toties agat talem, vel talem pœnitentiam? *Resp.* Si strictè loquamur de pœnitentia vindicativa peccatorum committendorum, non potest eam injungere, quia Confessorius non est Judex culpæ committendarum; sed si consideretur talis pœnitentia tanquam medicinalis, & præservativa, vel etiam vindicativa peccatorum, quæ pœnitens confessus est, sed delata ad tempora reincidentia, poterit eam Confessorius injungere, quamvis cautè sit agendum, ne illaqueantur conscientia; & scrupuli gignantur inextricabiles. *Castropalaus tom. 3. tract. 4. disp. 1. part. 9. Diana part. 6. tract. 6. resol. 30. Coton. dict. lib. 2. contrav. 10. num. 10. 11. & 12. Vide exemplum militis blasphemii, cui Confessorius injunxerat, ut quoties blasphemaret, Crucem faceret cum lingua in terra: & cum blasphemasset in pugna, recordatus pœnitentiæ, statim se prostravit in terra, ut Crucem faceret cum lingua; & tunc percussus pila plumbea ignita in humeris, non fuit offensus. Rosignol. in Libello lingue purgata cap. 17. in fine.*

8. *Quer.* An pro pœnitentia possit Confessorius injungere officium defunctorum, vel aliud pium opus applicandum animabus Purgatorii? *Resp.* Nonnullos Theologos tenere

partem negativam; ea ratione, quia si pœnitentia debet satisfacere pro pœnis, quas pœnitens esset passurus in Purgatorio, non debet, nec potest satisfacere pro aliis ibidem patientibus. Porro, verior, & communior est opinio affirmativa, quam pii, & docti Confessarii in praxi exercent, & suis libris tradiderunt, vel quia pœnitenti remanet satisfactio resultans ex opere operato, & animabus Purgatorii confertur illa, quæ emanet ex opere operantis; vel quia dicta pœnitentia prodest pœnitenti quoad satisfactionem; & animabus Purgatorii quoad impetrationem levaminis à tormentis; vel quia illud opus injectum tanquam pœnale, & Sacramentale valet ad satisfactionem debiti ipsius pœnitentis, & tanquam deprecativum; & vim suffragii habens sublevat animas Purgatorii, quibus applicatur. *Dian. part. 11. tract. 8. resol. 26. Coton. pluribus hinc inde citatis, dict. contrav. 10. num. 13. & 14. Vide, quæ larga manu scripsi de hoc quaesito in meis decisionibus de Eucharist. Decis. 58. Et in illis de Pœnitentia. Decis. 34.*

9. *Quer.* An Confessorius pro pœnitentia possit injungere opus aliâ debitum, ut audire Missam in die festo? *Resp.* Regulares loquendo non, nisi ob pœnitentis debilitatem id faceret cum aliqua circumstantia, puta majoris attentionis, vel contemplationis mysteriorum Missæ. *Coton. ubi supra num. 15.*

10. *Quer.* An Confessorius concedere possit pœnitenti, ut pœnitentiam impositam impleat per alium? *Resp.* Negative, quamvis aliqui Doctores contrarium dicant; nam contritio, confessio, & satisfactio sunt partes Sacramenti adimplendæ ab ipso Pœnitente. *Card. de Lugo de Pœnit. disput. 25. num. 82. Coton. ubi ante num. 16. & 17. Et ego ipse d. Decis. 34.*

11. *Quer.* Qualis, & quanta pœnitentia sit à Confessorio injungenda? *Resp.* Id non posse definiri, sed ejus arbitrio esse relinquendum, ita tamen, ut prudenter se agat circa gravitatem culpæ, consuetudinem peccandi, & habilitatem pœnitentis; ne ubi gravis est danda, imponat levem; & ubi levis est potius injungenda, gravem indicat. Porro, ob duas rationes Confessarii possunt esse benigni erga pœnitentes, & leviores satisfactiones præcipere; una est ob illa verba post absolutionem dici solita; *Passio Domini Nostri Jesu Christi, memorata Beata Maria Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum.* Altera est, quia frequenter habentur Indulgentiæ in Ecclesia Deitum temporales, tum plenariæ, quarum consecutione pœnitentes liberant se ab obligatione satisfaciendi pro suis peccatis, at (ut dictum est) summa prudentia opus est in Confessorio. *Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. Diana part. 11. tract. 7. resol. 3. Coton. ibidem num. 18. & seqq. Et ego d. Decis. 34. de Pœnitentia.*

12. *Quer.* Quanam reputetur hisce temporibus pœnitentia condigna pro homicidio voluntario? *Resp.* Primò, quod homicida à conjunctis oculis veniam postulet. Secundò, quod illata damna restituat. Tertiò, quod per annum confiteatur octavo quoque die, & semel in men-

menſe communicet. *Quarò*, quòd toto anno ſingulis hebdomadibus unam Miſſam (ſi po- teſt) celebrare faciat, vel ſaltem audiat pro anima occiſi, & eleemoſynam elargiatur. *Quarò*, quotidie Litanias, vel Coronam per annum flexis genibus recitet; & ſua vita du- rante quotidie nudis, & flexis genibus unum Pater, & Ave dicat. Ita conſulit Comitoli. in *reſp. Moral. lib. 4. q. 11. num. 8. relatus à Diana part. 5. tract. 4. reſol. 43. & approbat Coton. ubi ante num. 24.*

13. *Quer.* An poſſit abſolvi pœnitens, qui reſpueret pœnitentiam illi à Confefſario im- poſitam, dicendo eam nolle acceptare, quia contentatur ſatisfacere in Purgatorio? *Reſp.* Communis ſententia eſt negativa, quam tu- entur Cardinalis de Lugo, Vaſquez; Victo- ria, Suarez, & alii relati à Coton. d. *Contro- verſia 10. num. 25. & quamvis nonnulli con- trarium dixerint, quos refert Diana part. 11. tract. 7. reſol. 2. ob auctoritatem Scoti in 4. dec. 15. q. 1. lit. N. Tamen non eſt illis acce- dendum in praxi, nam Scotus videtur intel- lexiffe in aliquo caſu tantum, dum ſcilicet pœnitens eſſet graviter infirmus; vel vacil- lantis ſpiritus, ne aliàs caderet in deſperatio- nem; Et ita docet Emin. Cardin. de Lauræa de Sacrament. Pœnitentia diſput. 22. num. 143. Et ego ſcripſi de Pœnitentia Decif. XXX.*

14. *Quer.* Quanam ſit culpa omittere, ſeu non adimplere pœnitentiam ſibi injunctam pro peccatis mortalibus? *Reſp.* Si omiſſio ſit gravis, culpa erit mortalis; at ſi pœnitentia omiſſa ſit levis, puta unum Miſerere, culpa erit venialis, præciſo contemptu. Cardin. de Lugo de Pœnit. diſp. 25. num. 74. Diana part. 5. tract. 5. reſol. 51. Coton. ibidem num. 28. 29. & 30.

15. *Quer.* Qualis culpa reputetur, omittere pœnitentiam habitam pro peccatis venialibus, vel mortalibus aliàs conſeſſis? *Reſp.* Si ea ſit levis, levis quoque reputatur culpa; at ſi for- tè eſſet gravis, quamvis plurimi Doctores te- neant, venialem culpam non excedere, alii docent, in hoc caſu eſſe mortalem, prout et- iam, ſi non adimpleatur cum debita circum- ſtantia, quæ levis non ſit; puta flexis geni- bus, tali tempore, vel coram tali Imagine Sancta. Ita Coton. DD. referens d. *Controv. 10. num. 31. 32. 33. lib. 2.*

16. *Quer.* An ceſſet aliquando obligatio faciendi pœnitentiam injunctam à Confefſa- rio? *Reſp.* Ceſſare, ſi ſuperveniat impoten- tia vel ob infirmitatem, vel ob oblivionem; & ut tenent plurimi Doctores, ſi plenaria Indulgentia elargiatur. Diana part. 6. tract. 6. reſol. 36. Coton. ibid. num. 24.

17. *Quer.* An pœnitentia certis diebus fa- cienda ex præſcripto Confefſarii, ſi die aſſi- gnato non fiat, ſupplenda ſit alio die, puta ſi per menſem impoſitum ſit jejunium omni Sabbato, vel conſeſſio omni hebdomada? An, qui uno Sabbato non jejunavit, tenea- tur altero die jejunare? vel qui una hebdo- mada non eſt conſeſſus, teneatur altera hebdo- mada conſiteri bis ſeu ſupplere? *Reſp.* Eſſe hinc inde Doctorum opiniones; ſed magis comu- nem, quòd pœnitens teneatur ſupplere, eò quia Confefſarius non intendit alligare illud

opus tali die, vel hebdomadæ inſeparabiliter, ut facit Eccleſia, vel privatus de jejunio ex vigilia, vel ex voto; ſed intendit opus pœ- nale, quòd non tranſit, aut ceſſat cum die, & ideo eſt ſupplendum. Caſtopal. tom. 4. tract. 23. diſp. unic. part. 21. §. 4. num. 13. Co- ton. ubi ſupra num. 35. 36. 37.

18. *Quer.* An, qui pro pœnitentia habuit, ut jejunaret pane, & aqua, ſi ſic jejunare non poteſt, debeat ſaltem jejunare more Eccleſia- ſtico, ſi poſſit? *Reſp.* Doctores reſpondere negativè, quia talis qualitas jejunii eſt depu- tata pro pœnitentia, quam cum ex infirmi- tate adimplere non poſſit, non tenetur ad a- liud. Dian. part. 9. tract. 9. reſol. 54. in fine.

19. *Quer.* Quousque differri poſſit imple- mentum pœnitentiæ Sacramentalis? *Reſp.* Di- ſtinguendos eſſe duos caſus. Primus eſt, ſi Confefſarius præſcripſit tempus, in quo velit, eam adimpleri; & in hoc caſu communis eſt opinio, ne ultra octo dies differri poſſit. Dia- na part. 5. tract. 5. reſol. 15. Secundus caſus eſt, ſi Confefſarius nullum diem, vel tem- pus adimplendi illam præſcripſit, & tunc ajunt Doctores, poſſe adimplementum dif- ferri per annum. Diana part. 2. tract. 15. re- ſol. 53. & part. 11. tract. 7. reſol. 10. Coton. ubi ante num. 40. 41. & 42. ubi non approbat tantam dilationem, & vix per quatuor men- ſes, aut ſex ad ſummum, ait licitum cen- ſeri, ut differatur.

20. *Quer.* An pœnitentia injuncta, ut in diverſis diebus, vel temporibus per partes im- plectur, poſſit una vice tota adimpleri? ut ſi cui fuiſſet injunctum, jejunare ter, ſemel ſci- licet per hebdomadam, an poſſit ter in eadem hebdomada jejunare? vel ſi ei datum ſit quin- que Roſaria in quinque hebdomadis dicenda, vel quinque Miſſas pro defunctis audiendas, poſſit unica die dictæ pœnitentiæ ſatisfacere? *Reſp.* Vel Confefſarius ſic injunxit pœnitenti, ut pœnitentia hæc ſerviret pro cautela ad non peccandum, & non poſſet ſe ab illa expedire ante tempora præſcripta? At ſi intellexit tan- tum illa, uti bona opera fieri, & tempus pro majori commoditate pœnitentis protulit, poterit pœnitens illud abbreviando, ſtatim & illicò ſatisfacere. Coton. ibid. num. 44.

21. *Quer.* An ſit peccatum, adimplere pœ- nitentiam Sacramentalem in mortali pecca- to? *Reſp.* Diſſentire Theologos inter ſe, ſed prævalere opinionem negativam, videlicet, quòd non ſit peccatum; imò ulterius docent, quamvis in peccato pœnitentia adimpleatur Sacramentalis, operari remiſſionem pœnæ ex opere operato. Scotus in 4. d. 15. qu. 1. lit. O. Coton. ubi ante num. 48. 49. & 50. De qua re vide, quæ ſcripſi de Euchariſt. Decif. 58. & num. 11. & ſeqq. Et de Pœnitentia. Decif. 34. num. 21. ubi plenè de hoc quaſito.

22. *Quer.* An in adimplenda pœnitentia Sacramentali opus ſit, habere intentionem ex- preſſam adimplendi? *Reſp.* Sufficere, quòd non habeatur intentio contraria, & ideo, qui pro pœnitentia recepit unum jejunium, ſi ſe- mel jejunet, quamvis non intendat implere pœnitentiam, eò quia tunc de ea non recor- datur, vel non cogitat, tamen ſatisfecit, ſi contrarium expreſſè non habeat in intentio-
ne.

ac. Dian. par. 10. tract. 16. resol. 25. Coton. num. 52. 53.

23. *Quer.* An officium divinum, vel Rosarium inunctum pro poenitentia possit recitari alternatim cum socio? *Resp.* Affirmative juxta morem Ecclesiae, cui praesumitur conformis mens Confessarii, qui contrarium non expressit. Diana par. 11. tract. 7. resol. 3. Coton. num. 57. & 58.

24. *Quer.* Si confessarius injunxisset audire unam Missam singulis diebus per mensem, an diebus festis de precepto sint duae audiendae, vel una sufficiat? *Resp.* Doctores tenere, ut sufficiat sentire unam. Coton. ibid. num. 61.

25. *Quer.* An Litaniae Sanctorum recitandae pro poenitentia debeant recitari cum precibus, & orationibus sequentibus? *Resp.* Negative, nisi expresse eas Confessarius injungat. Coton. ubi supra num. 64.

26. *Quer.* Quis possit commutare poenitentiam Sacramentalem prius impositam? *Resp.* Primo eam commutare potest ipsemet Confessarius, à quo imposita fuit, non solum statim, vel paulò post confessionem, sed etiam post longum tempus, si recordetur, saltem in confuso, de confessione; at in majorem poenitentiam, nisi consentiente poenitente, commutare non potest; neque in minorem, nisi legitima subsistente causa. Secundo, alter Confessarius eam pariter commutare potest, dummodo tamen iterum audiat confessionem praecedentem poenitentis, saltem de gravioribus peccatis, & ipsa peccata non sint reservata Superiori. Tertiò, ipsemet poenitens non potest eam sibi commutare, quamvis in meliorem, vel majorem commutaturus, licet secus sit in votis; nam poenitentia Sacramentalis pendet à valore clavium, quibus obediendo producitur effectus nulli alteri comparandus. Quartò, si poenitens commutationem legitime obtinuit, & velit adhuc primam poenitentiam implere, potest hoc facere. Cotonius plurimos allegans super unoquoque ex praemissis casibus dict. lib. 2. de Sacram. Controv. 10. cap. 3. à num. 66. usque in finem. Ego quoque dict. decis. 34. num. 22. de Poenitentia.

CAPUT CXXV.

De Sigillo Confessionis.

1. *Quer.* Quid sit Sigillum Confessionis? *Resp.* Est obligatio silentii, seu tacendi ea, quae in confessione audita sunt, in quocunque casu, & indispensabiliter. Cotonius dict. lib. 2. contr. 14. num. 2. 3. & 4. & in meis Decisionibus de Poenitentia Decis. 49. ubi lector omnia scienda circa sigillum repetit.

2. *Quer.* Quotuplex sit sigillum, seu secretum? *Resp.* Est triplex, nempe Fidelitatis, Justitiae, & Religionis. Secretum Fidelitatis est, quando aliquis narrat aliquid amico, rogans eum, ut teneat secretum. Justitiae secretum est, dum pactum intervenit inter duos, aut plures de tacendo. Secretum Religionis est illud, quod ex natura Sacramenti insurgit; ob cujus reverentiam debet Confessarius o-

Doct. Cleric. in Tom. II. Lib. VII.

mnino tacere ea, quae audit in confessione; ne hoc Sacramentum videatur hominibus grave. Coton. ubi supra d. num. 4.

3. *Quer.* Quodnam peccatum sit violare sigillum confessionis? *Resp.* Est peccatum gravissimum Sacrilegii, ac etiam peccatum injustitiae ob pactum virtuale de tacendo, quod in confessione intercedit inter Confessarium, & poenitentem. Card. de Lugo de Poenit. disp. 23. num. 16. Diana par. 5. tract. 11. resol. 2.

4. *Quer.* Quale peccatum sit, frangere sigillum confessionis circa unum veniale tantum? *Resp.* Adhuc est sacrilegium, & mortale peccatum, nisi excusaret inadvertentia, vel generalitas sermonis, ex qua non manifestatio peccati venialis, sed suspicio resultaret. Diana ubi supra. & Coton. num. 6.

5. *Quer.* An Confessarius possit de peccatis auditis in confessione loqui saltem cum ipomet Poenitente? *Resp.* Negative, nisi praecedat ejus licentia, quam quidem pro sui libito concedere potest, non solum ut loquatur secum de suis peccatis confessis, sed etiam quod aliis revelet. Diana par. 5. tract. 11. resol. 10. Et haec procedunt post expletam confessionem; nam antequam poenitens recedat à pedibus confessarii, si iterum occurrat loqui circa peccata confessa, potest id Confessarius facere, nulla requisita licentia, quamvis imperitisset absolutionem. Coton. d. lib. 2. contr. 14. n. 8.

6. *Quer.* An sit credendum Confessario dicenti ex commissione habita à defuncto in confessione, haeredes ejus teneri facere certam restitutionem? *Resp.* Affirmative, quia in hoc casu dictum confessarii probaret contra haeredes. Diana par. 5. tract. 11. resol. 28. & 32. Coton. ibid. num. 10.

7. *Quer.* Quae, & quanta sint, quae cadunt sub sigillo Confessionis? *Resp.* Peccata omnia tam mortalia, quam venialia, cum suis circumstantiis, & cum iis omnibus, quae narrat poenitens occasione accusationis suorum peccatorum, etiamsi non necessaria forent, vel imprudenter se gereret loquendo, utpotè complicem manifestando; de quibus omnibus nullatenus Confessarius potest loqui extra confessionem. Diana par. 3. tract. 4. resol. 111. Coton. ubi ante num. 16. 17. & 18. d. mea Decis. 49. de Poenitentia.

8. *Quer.* An Confessarius frangeret sigillum confessionis, si diceret, dedi Petro poenitenti pro poenitentia, ut recitet unum Pater, & unum Ave? *Resp.* Negative, eo quia haec est poenitentia levis, & ratione levitatis non censetur frangere sigillum, quia non indicat esse confessum Petrum peccata venialia certa, & specifica. Diana par. 5. tract. 11. resol. 31. qui hanc levitatem poenitentiae considerat etiam in Psalmo Miserere, vel in quinque Pater, & Ave. Porro Coton. ubi supra num. 19. & DD. ibidem relati monent, etiam poenitentiam inunctam cadere sub sigillo, & Confessarium eam manifestantem graviter peccare, nisi à levitate praedicta excusetur.

9. *Quer.* An cadant sub Sigillo Confessionis defectus naturales occulti? *Resp.* Affirmative, si sint dicti occasione confessionis, secus si sint illati, id est, si ex illatione materiali proveniant, nempe, quod poenitens sit tardus

C c